

Haud moramur in eo, quod postremo loco subditur de *iure* episcoporum *proprio*. Hoc enim perinde est ac assumere quod in quaestione est positum, quodque hactenus falsum ac erroneum esse ostendimus. Quemadmodum enim nemo ex episcopis statuere valet impedimentum dirimens, ita nemo potest illud relaxare.

Ex his colligimus, quid de eiusmodi auctoribus sentiendum sit, qui sub finem elapsi seculi undique insurrexerunt ad Ecclesiam perturbandam vexandamque, cuiusmodi inter caeteros fuerunt Pereira in Lusitania, Litta in Italia, electores ecclesiastici in Germania, Durandus a Millante in Galliis, Oberhauser in Austria, alique pene innumeri earundem aliarumque gentium scriptores, quorum nomina veluti in terrae pulvere descripta vento ablata sunt, aut mala fama putruerunt (92). Istorum omnium conamina in irritum cessere. Contra vero Romanae ecclesiae iura intacta adhuc dum manent. Idem dic de principibus, qui ab istiusmodi theologis et canonum interpretibus decepti in mandatis dederunt, ut « episcopi dis- » pensent *iure proprio*, ipsis scilicet a Christo collato, atque » exercito a suis primitivorum temporum praedecessoribus, » prout Iosephus II. imperator apposito decreto seu edicto fecit, et alii cum ipso et post ipsum solemniter edixerunt. Hi omnes cito defecerunt, at ecclesia Romana firma ac immota perstitit, et ita in posterum perseverabit, frustra eam dimovere adnitentibus communi conspiratione cunctis eius hostibus, quin quidpiam proficiant. Atque haec utriusque partis sors erit usque ad consummationem seculi.

(92) Pereira tractatum suum edidit de potestate episcoporum an. 1765. adversus quem scriptum edidit Chatizel an. 1781. De edicto Iosephi II; de congressu Emsensi, aliisque per id temporis gestis. Cf. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique pendant le XVIII. siècle* an. 1786. tom. III. pag. 58 seqq. et *Coup d'œil sur le congrès d'Ems.* auctore Feller. an. 1787. De gestis in Galliis sub finem seculi elapsi et init. sec. XIX. Cf. Carrière op. cit. tom. II. n. 4065. circa finem.

ARTICULUS IV. — Distinctione facta inter impedimenta dirimentia ex iure naturali et ex iure positivo inferitur quousque se porrigat dispensandi facultas.

Si impedimenta matrimonium dirimentia essent pariter omnia ex iure ecclesiastico, eo ipso Ecclesia posset in singulis, iustis de causis dispensare. Sed quoniam quaedam sunt iuris naturalis ac positivi divini, litimes quidam in hac dispensandi facultate agnoscendi sunt. De plerisque impedimentis vix ulla potest esse dubitatio, nimirum prima fronte, patet Ecclesiam vel dispensare posse vel non posse. Difficultas potissima est quoad impedimenta consanguinitatis et affinitatis. De his itaque praecipue erit quaestio. At prius praestat generatim quaedam praemittere.

Impedimenta, quae oriuntur ex lege naturali, distribui commode possunt in tres classes, quarum prima ea complectitur, quae matrimonia nulla reddunt, eo quod haec stricte iuri naturali adversentur; secunda illa comprehendit, quae licet non omnino ac presse matrimonia afficiant, quae iuri adversentur naturali, nihilominus non sunt eidem plane conformia, seu contraria sunt iuri naturali minus presse sumpto; tertia iis constituitur, quae matrimonia illa attingunt, quae etiamsi naturali legi pariter presse sumptae non repugnent, quamdam tamen prae se ferunt communi hominum sensu difformitatem, seu indecentiam quamdam, ut vocant, a qua natura humana abhorret.

Igitur Ecclesia nullo modo relaxare potest impedimenta primae classis, ut omnes admittunt; quoad reliquas duas classes, absolute Ecclesia posset dispensare auctoritate illi divinitus data. Cum autem non omnia, quae licent, semper expediant, hinc fit, ut ea interdum, prout rerum adiuncta postulant, in impedimentis secundae classis relaxet, nunquam vero consueverit dispensare ab impedimentis tertiae classis ob turpitudinem, quae communi hominum sensu illis inhaeret.

Quae ut intelligantur, sedulo enumerare debemus eiusmodi impedimenta atque expendere, ut alia ab aliis discernamus; quod profecto salebrosus est ob auctorum, qui de iis disserunt, dissonas saepe sententias. Itaque circa singula diversas afferemus opiniones, et quid verisimilius censendum nobis videatur, exponemus.

Quandoquidem autem nemo perspicue magis istorum impedimentorum theoriam ac partitionem exposuit ac Angelicus Doctor, ipsius verbis eam hic inuimus: « Potest, inquit, » matrimonium impediri aut ex parte contractus matrimonii, » aut ex parte contrahentium. Si primo modo, cum contractus » matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per » ignorantiam et per violentiam, erunt duo impedimenta ma- » trimonii, scilicet *vis*, idest coactio, et *error* ex parte igno- » rantiae.... Ex parte personarum contrahentium potest aliquis » impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter, vel re- » spectu alicuius personae.... Si simpliciter, ut cum nulla pos- » sit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia » impeditur a matrimoniali actu. Quod quidem contingit du- » pliciter. Primo quia non potest de facto, sive quia omnino » non potest: et sic ponitur impedimentum *impotentia coeundi*; » sive quia non libere possit: et sic ponitur impedimentum » *servitutis conditio*. Secundo quia non licite potest: et hoc » secundum quod ad continentiam obligatur; quod contingit » dupliciter: vel quia obligatur ex officio suscepto: et sic est » impedimentum *ordinis*; vel ex voto emisso, et sic impedit » *votum*. Si autem impeditur aliquis a matrimonio non sim- » pliciter, sed respectu alicuius personae, vel hoc est propter » obligationem ad alteram personam, sicut qui uni matrimonio » iunctus est, non potest alteri coniungi: et sic est *ligamen » matrimonii*; vel quia deficit proportio ad alteram personam: » et hoc propter tria: primo quidem propter nimiam distantiam » ad ipsam, et sic est *disparitas cultus*; secundo propter ni- » miam propinquitatem, et sic ponitur triplex impedimentum, » scilicet *cognatio*, deinde *affinitas*, quae importat propin-

» quitatem duarum personarum ratione tertiae per sponsalia » iunctae; tertio propter indebitam coniunctionem ad ipsam » primo factam, et sic impedit *crimen adulterii* prius cum » ipsa commissi (93). »

Porro circa impedimenta *erroris, vis*, aut perpetuae *impotentiae* (94) dari haud posse dispensationem, ex se ipsa res loquitur. Restat igitur ut disquisitio nostra ad impedimentum cognationis tum ratione consanguineitatis tum ratione affinitatis coarctetur. Nam quod attinet ad impedimenta iuris positivi divini, alias redibit sermo.

Iam vero cognatione, quae dicit consanguineitatem, impediri seu irritari coniugium, licet diversa ratione pro diverso gradu propinquitatis, egregie iterum exponit declaratque S. Thomas scribens: « Quod in matrimonio aliquid contra legem » naturae esse dicitur, per quod matrimonium redditur incom- » petens respectu finis, ad quem est ordinatum; finis autem

(93) *Supplem.* 3. part. q. 50. art. unic.

Quae adduximus ex S. Thoma ita philosophice exponuntur a cl. Taparelli in suo *Saggio teoretico di diritto naturale*. Roma 1835. tom. II. n. 1548. « Per » sè I. il matrimonio è società *volontaria*, dunque ove non è volontà non è » matrimonio: la volontà cessa or per *ignoranza* or per *violenza*. *Ignoranza* » e *violenza* impediscono dunque il vincolo dell' associazione. II. Se è società » è *cooperazione*: dunque ove è impotenza o fisica o morale ad ottenere il fine, » ivi non è associazione coniugale - Considerato poi nella *società* il matrimonio » può essere impedito o pei doveri delle parti *fra loro*, o pei doveri antece- » denti *verso persona terza*. III. *Tra loro* potranno nascere doveri o impedi- » menti per ragioni di *parentela* o di *affinità* o di *onestà*, dei quali varia può » essere la natura et la forza - *Rispetto a persona terza*: questa potrà essere » in diritto di disporre o delle azioni, o della persona (*padrone o consorte*) e » suoi diritti anteriori vietano i posteriori inconciliabili - È facile l'applicazione » di questa divisione agl'impedimenti canonici; e non può non riuscire utile » insieme e dilettevole a chi ama filosofar sul diritto, il vedere in natura ciò » che viene stabilito dalla più sacra di tutte le autorità. Dal 1. capo ripetonsi » gli impedimenti di *errore* e di *rapimento* - dal 2. quelli di *impotenza* e di » *voto* - dal 3. quelli di *cognazione*, di *affinità*, di *delitto*, di *clandestinità* - dal » 4. quelli di *condizione* o *servitù*, di *ordine*, di *religione diversa*: e quelli di » *sponsali* e di *matrimonio*. »

(94) De impedim. tamen *impotentiae* cf. Pontium *De matrim.* lib. VII. cap. 55 et seqq.

» matrimonii per se et primo est bonum prolis, quod quidem
 » per aliquam consanguinitatem scilicet inter patrem et filiam,
 » vel filium et matrem impeditur, non quidem, ut totaliter
 » tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere,
 » et simul cum patre nutrire et instruere, in quibus bonum
 » prolis consistit; sed ut non convenienti modo fiat (95). In-
 » ordinatum enim est quod filia patri per matrimonium iun-
 » gatur in sociam, causa generandae prolis et educandae,
 » quam oportet per omnia patri esse subiectam velut ex eo
 » procedentem: et ideo de lege naturali est, ut pater et mater
 » a matrimonio repellantur, et magis etiam mater quam pater...
 » Sed finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae
 » repressio, qui alias deperiret, si quaelibet consanguinea pos-
 » set in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiae adi-
 » tus praeberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in
 » eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta; et
 » ideo lex divina non solum patrem et matrem excludit a ma-
 » trimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas oportet

(95) Eiusmodi *non convenientem modum*, quem hic vix tangit S. Thomas, his verbis apte pariter exponit Taparelli op. cit. n. 1540. « La società domestica porta seco due importantissime relazioni cioè *dipendenza* dal superiore, ed *amicizia* coi consociati. La dipendenza se si riguarda nei servi nasce da *fatto umano*, ma nei figli dipende da *fatto naturale*; potrà dunque la prima cangiarsi, ma non potrà la seconda. Or il matrimonio stabilisce una specie di *amicizia* e però di *uguaglianza* fra coniugi, alla *uguaglianza* ripugna la *dipendenza*, dunque fra le relazioni filiale e le coniugali apparisce natural ripugnanza. Altre ragioni dedotte dall'organismo a confermare tal legge possono vedersi presso i fisiologi, i quali osservano anche nei bruti imbastardir le razze, se non s'incrociano. Ma senza ricorrere a queste, che da taluni potrebbero forse revocarsi in dubbio, una ve n'è, che al più superficiale osservatore pur salta agli occhi: nel genitore cessa la fecondità secondo il consueto andamento di natura a quella epoca in circa in cui nei figli comincia. Dunque nell'intento del Creatore codesta congiunzione è vietata. - L'*amicizia* poi che dee legare *naturalmente* i domestici tenderebbe colle passioni *naturalmente* a togliere ogni freno, che dalla ragione s'impongono al matrimonio taggio dell'uomo. La stessa ragione vuol dunque che ove la coabitazione è *naturale*, sia *naturale* un maggior ritegno etc. » quod deinde late prosequitur.

» tet simul conversari, et quae debent invicem altera alterius
 » pudicitiam custodire: et hanc causam assignat divina lex
 » dicens: *ne reveles turpitudinem* talis, vel talis, *quia turpitu-*
 » *tudo tua est*. Sed per accidens finis matrimonii est confoede-
 » ratio hominum, et amicitiae multiplicatio, dum homo ad
 » consanguineos uxoris sicut ad suos se habet: et ideo huic
 » multiplicationi amicitiae praeiudicium fieret, si aliquis san-
 » guine coniunctam uxorem duceret: quia ex hoc nova ami-
 » citia per matrimonium nulla accresceret: et ideo secundum
 » leges humanas et statuta Ecclesiae plures consanguinitatis
 » gradus sunt a matrimonio separati. Sic ergo ex dictis patet,
 » quod consanguinitas ad aliquas personas impedit matrimo-
 » nium de iure naturali; quantum ad aliquas de iure divino,
 » et quantum ad aliquas de iure per homines constituto (96). »

Hactenus quidem S. Thomas ex cuius verbis conspicitur spectato naturae iure presse sumpto, non aliud ex consanguineitate impedimentum oriri, quam ex linea recta inter progenitores ac filios; caeteros vero gradus impedire aut dirimere matrimonium tantum ex dispositione positiva divina aut humana. Quin etiam graves non desunt auctores, qui censeant primum gradum in linea recta ideo adversari coniugio ex iure naturali, quod sit inconveniens, minusque naturae conformis patris aut matris cum filia aut filio commixtio; non autem stricto iure naturae, cum fini praecipuo coniugii qui est bonum prolis minime adversetur. Quapropter existimant ex iure potius positivo, seu lege divina, quam ex iure naturali presse sumpto eiusmodi dirimens impedimentum oriri. Ex quo inferunt, quod si aliud occurreret praeceptum urgentius et efficacius, ne ex gr. periret deficeretque prorsus genus humanum, illud impedimentum absque ulla dispensatione eo ipso cessaret (97). Multo vero magis id esset affirmandum iuxta

(96) Supplem. 5. p. q. 54 art. 5. corp.

(97) Qua de causa congressum filiarum Lot cum patre ex persuasionem, quod igne omnes homines periissent, aliqui a gravi peccato excusant, quin etiam ab omni peccato liberant S. Ioan. Chrysostomus, S. Ambrosius alique nonnulli.

hos auctores de gradu, qui a primo stipite, licet in linea recta sit remotior. Quamvis enim haud pauci velint impedimentum proveniens ex linea recta dirimere *in infinitum*, ut aiunt, alii tamen hunc effectum vel ad septimam, vel sextam, quintam, quandoque etiam ad quartam tertiamve, imo et ad secundam generationem, spectato solo naturae iure coarctant.

Quidquid porro sit de eiusmodi speculativis seu theoreticis quaestionibus, quae nunquam practicum habent effectum, nemo unus negaverit coniugia, de quibus agitur, insitam includere turpitudinem, a qua natura abhorret; quod vel ex ipso communi gentium sensu facile apparet, quae iugiter haece coniunctiones detestatae sunt (98). Quare nunquam locum habuit, aut haberi potuit dispensatio ab Ecclesia in hoc impedimento, non modo inter fideles antequam coniugium ineatur, sed neque quoad ipsos infideles ad fidem conversos, si forte antea coniugium eiusmodi iniissent.

Hactenus de impedimento cognationis in linea recta; aliquid adiciendum de impedimento eodem in linea quam *transversam* vocant, spectato presso naturae iure. Non videtur adeo certum in ipso primo gradu huius lineae, cuiusmodi esset coniugium inter fratrem et sororem haberi in iure naturali impedimentum dirimens. Auctores, qui hac de re scripserunt, inter se disceptant. Ad unum omnes profitentur eiusmodi coniunctionem illicitam esse; verum aliud est quidpiam naturae iure esse illicitum, aliud vero irritum, quum alterum cum altero subsistere possit. Plura enim sunt iure naturali illicita, quae tamen, si fiant, irrita non sunt (99). Itaque haud pauci existi-

Cf. Kugler *De matrim. De imped. matrim.* c. IV. §. 1. n. 1505. Item Pontium lib. VII. cap. 51. n. 4. et 5.

(98) Quoad Persas, qui coniugia cum parentibus permittebant, ipsi in reprehensionem hac de causa iucurrerunt non dicam SS. PP. aut ecclesiasticorum scriptorum, Tertulliani in *Apologet.* c. IX.; Io. Chrysostomi *Hom. de Pentecoste* circa finem, Augustini *Quaest.* 61. in *Levetic.*, Theodoretii in lib. *De legibus*, verum etiam ipsorum ethnicorum, Aristotelis *Politic.* lib. II. Plinii *Histor. Natur.* lib. VIII. cap. 42. etc.

(99) Cf. Bellarmin. *De matrim.* cap. XIX. ubi inter caetera profert ad rem

mant coniunctionem in primo lineae obliquae seu collateralis gradu, fratris nempe et sororis, iure naturae minime dirimere coniugium (100). Alii autem eiusmodi matrimonium censent probabilius esse iure naturae irritum, innitunturque potissimum auctoritate Innocentii III. cap. *Gaudemus, de divort.* qui edixit: matrimonia inter infideles contracta in secundo, tertio et quarto gradu consanguinitatis non debere dissolvi. Ex quibus quidam colligunt Rom. pontificem in ea fuisse sententia, quod coniugia in primo consanguinitatis gradu ab infidelibus inita utpote iuri naturali contraria dissolvi prorsus deberent. At alii repugnant id esse consequens, dicuntque intelligi posse Innocentii III. responsum de primo gradu in linea recta, aut melius, Innocentium ad id respondisse, quod fuerat quaesitum. Quaestio autem ei proposita fuerat de secundo, tertio quartoque gradu, adeoque de primo gradu sive lineae rectae, sive transversae nil ab Innocentio negari, nil affirmari. Nec sane desunt rationum momenta, quibus placitum suum utraque pars tuetur atque propugnat, quae apud allegatos auctores expendi possunt (101).

nostram exemplum filiorumfamilias et servorum, qui quamvis peccent quandoque ac illicite contrahant coniugium, invitis parentibus ac dominis, nihilominus semel initum coniugium validum est ac ratum. Plura alia exempla, si opus esset, afferri possent.

(100) Sanchez lib. VII. disp. 52. n. 10. enumerat 26. auctores pro hac negativa sententia, quibus Leander tract. IX. disp. 15. q. 9. alios duodecim adiungit quibus et ipse assentitur, sibi que adiciunt S. Thomam. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 5.

Cf. etiam Pontium *De sacr. matr.* lib. VII. c. 52. *De imped. cognationis* n. 5. qui pro hac sententia allegat et ipse S. Thomam, Caietanum, Alexan. Alensem, Richardum, Durandum, Carthusianum, Armillam, Oleastrum, Guilielm. Himerium, Gratian. Hervetum, Laysium, Legionensem, quorum sententia est coniugium inter fratrem et sororem in V. L. divino iure, nunc autem iure ecclesiastico esse prohibitum. His Pontius addit quaedam patrum testimonia. Exinde Verricelli in op. *De apostol. missionibus* tit. IV. *De privileg. regul.* q. 98. dub. 14. infert. « Quare si gentilis ante baptismum contraxerit matrimonium cum sorore in eo perseverare debet post baptismum. »

(101) Horum AA. censum exhibet Kugler op. cit. q. XLIII. inter *quaestiones magis disputatas* n. 1874.

Quid verisimilius nobis videatur postea dicemus. Illud certum est Ecclesiam neminem unquam hoc in gradu dispensasse (102).

Hac iterim theoretica quaestione dimissa, superest, ut inquiramus utrum in ulteriori gradu lineae collateralis ita naturae lege coniugium vetetur, ut etiam irritum fiat.

Non defuerunt, qui docerent cognatione etiam in secundo ac tertio gradu coniugium naturali iure dirimi, ita ut nullo unquam in casu hisce in gradibus relaxatio dari queat.

Hi potissimum innitebantur auctoritate Levitici, in quo (cap. XVIII.) non modo coniugia vetantur inter patrem et filiam, matrem et filium itemque inter avum aut aviam cum nepotibus et neptibus, seu in primo ac secundo gradu lineae rectae, verum etiam in linea transversa in primo gradu inter fratrem et sororem sive ex uno sive ex utroque parente prognatos, atque iusuper in secundo gradu in linea inaequali, non quidem absolute, sed tantum inter nepotem et amitam, aut materteram. Dixi *non absolute*; siquidem coniugium cum patruo aut avunculo haud interdictum, licet intercedat cognatio in secundo gradu. Idem dic de affinitatis gradibus, qui eodem in capite continentur, et in quibus coniugium interdictum est; de quibus postea.

At nunc eiusmodi sententia absoleta est, ac si haereticos quosdam protestantes demas, iam nemo est theologorum aut canonistarum, qui adhuc teneat omnes gradus in Levitico recensitos spectare ad legem naturae, ita ut dari non possit in aliquibus ipsorum, nominatim vero in secundo et ulteriori gradu cognationis, ab Ecclesia dispensatio.

(102) Nonnulli affirmant Martinum V. dispensasse in matrimonio fratris cum sorore; itemque dispensatum esse cum Emmanuele Lusitaniae rege. At haec destituta esse veritate historica ostendit card. De Lugo lib. I. *Resp. moral.* dub. XL. et Spondanus ad. an. 1496. Cf. Kugler loc. cit. Et sane, ut rite animadvertit Natal. Alex. Hist. eccles. saec. XV. et XVI. agens de Martino V. art. III. n. 6. « Qui tanta, inquit, cautione usus est in dispensationibus concedendis, » hunc alicui veniam fecisse ducendae germanae sororis, ab omni specie veri » alienum est. » Disserit autem de dispensatione data ab hoc pontifice comiti Fuxensi, de qua mox agemus.

Omnium enim consensione tum catholicorum tum heterodoxorum pro certo habetur impedimenta, quatenus in Levitico constituta sunt, divino iure non amplius obligare christianos, uti alias et nos animadvertimus; cum leges caeremoniales ac iudiciales per Christum abolitae fuerint. Si proinde illis impedimentis adhuc tenerentur christiani, ideo esset, quia spectarent ad legem moralem seu ad naturae legem; atque hoc reipsa fuit, quod autumarunt veteres ita nuncupati reformatores (103) potissimum, ut hac ratione Henrici VIII., Angliae regis, coniugium cum Anna Boylen cohonestarent. Nam huic innixi fundamento, quod gradus omnes sive consanguinitatis sive affinitatis in Levitico enumerati ad Ecclesiae auctoritatem minime spectarent, adeoque a Rom. pontifice in nullo eorum dispensari posset, intulerunt relaxationem, seu veniam a pontifice Henrico factam ducendi Catharinam Arthuro, eius fratri, matrimonio coniunctam, licet matrimonio non consummato in viduitate relictam, nullius fuisse valoris. Quum proinde irritae fuerint nuptiae, utpote impedimento irretitae primi affinitatis gradus, qui in Levitico continetur, Henricum iure, hoc dissoluto coniugio, ad novas nuptias convolasse.

Ast Tridentinum concilium hunc novatorum errorem anathemate confixit sess. XXIV. hoc can. III. « Si quis dixerit » eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico » exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, » et dirimere contractum; *nec posse Ecclesiam in nonnullis » ipsorum dispensare*; anath. sit. » Igitur uti ratum exploratumque assumit concilium, non omnes recensitos in Levitico sive consanguineitatis sive affinitatis gradus impedire aut dirimere coniugia vi legis moralis saltem presse sumptae; alioquin minime definivisset posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare (104).

(103) Cuiusmodi inter caeteros fuerunt Lutherus, Bucerus, Calvinus, Chemnitius, aliique illius aetatis sectarii.

(104) Argumenta, quibus praefati haeretici innitebantur, ut evincerent omnes Levitici gradus ad legem spectare naturae, expendit dissolvitque Bellarminus loc. cit. cap. XXVII. item Kugler op. et loc. cit. aliique passim.

Dixi *legis naturalis presse sumptae*, quae nullam scilicet relaxationem admittat. Siquidem ut optime animadvertit Bellarminus, tribus modis aliquod praeceptum prohibens dici potest naturale, 1. quia sit de re intrinsece mala, ita ut semper et apud omnes sit mala, nec unquam ullo in casu possit fieri bona: ut mendacium, blasphemia aliaque eiusmodi; 2. quia sit de re mala semper et apud omnes, excepta extrema necessitate: cuiusmodi foret tollere alienum invito domino; ad quam classem ipse refert matrimonium cum sorore in mundi exordio; 3. quia sit de re mala, si res illa nude et absolute sumatur, quae tamen possit mutatis circumstantiis, variis modis honestari ac fieri bona: uti esset hominem occidere, hominis enim occisio in se spectata mala est; verum si fiat a publica auctoritate ad societatis bonum, et ad crimen puniendum, bona ac licita evadit.

Quibus praenotatis infert, praecepta, quae primo et secundo modo naturalia dicuntur, ita prohibere, ut dispensationi non subsint, utpote praecepta iuris naturalis presse sumpti. Ast quoad ea, quae tertio modo naturalia sunt, posse in nonnullis rerum personarum ac temporum adiunctis licita fieri ac dispensationi subiacere.

Cum igitur in Levitico prohibentur coniunctiones, quae fiant praeter primum coniunctionis gradum tum in linea recta tum in linea transversa, hae prohibitiones referuntur ad tertium modum, seu ad eas coniunctiones, quae in nonnullis adiunctis personarum ac temporum licitae fieri possunt, seu divinae Ecclesiae auctoritate, quae relaxare valet, quae obstant consanguinitatis et affinitatis impedimenta. Hinc etiam dici potest, praecepta prohibentia, quae in Levitico recensentur, posse tum moralia nuncupari, tum iudicialia; *moralia* quidem non solum ea, quibus vetantur matrimonia in primo consanguinitatis gradu, verum etiam, quae spectant ad gradus superiores sive consanguinitatis sive affinitatis; quia si nude ac per se sumantur, minus conformia legi naturae deprehenduntur, atque ab ea improbantur. *Iudicialia* vero, quia, quae vaga sunt atque indeterminata, nec perspicue cognita uti legi naturali adversantia, a

legitima auctoritate positive decerni debent; talia porro sunt, quae a lege divina positiva interduntur coniugia, in quibus intervenit aliqua cognatio primo gradu remotior.

Quamvis vero passim admittatur, naturalia praecepta ea dici, quae solo naturali lumine veluti sponte sine aliquo discursu, aut saltem facillime dignoscuntur, quaeque apud omnes gentes bene constitutas sunt eadem, seu, ut loquitur Bellarminus, quae eadem sunt quoad notitiam et certitudinem; attamen hoc legis naturalis dignoscendae criterium ab omnibus non admittitur. Etenim licet verum sit illud omne esse iuris naturae praeceptum, quod sine ullo, aut certe facillimo discursu adhibito dignoscatur apud gentes excultas, nihilo tamen minus non pauca dantur naturalia praecepta, quorum notitia non omnibus etiam bene institutis gentibus obvia est. Siquidem gentes multae alias optime institutae uti licitas admiserunt actiones, quae iuri naturae adversantur. Sic haud paucae tanquam licitam habuerunt matrimonii dissolutionem, licitas habuerunt usuras aliasque eiusmodi aberrationes. Imo plurimi etiam philosophi olim celeberrimi, teste Plutarcho (105) putarunt paederastiam esse licitam, idem senserunt de uxorum communitate, de promiscuo congressu fratrum et sororum, aliaque non pauca. Quid plura? Fornicationem et mollitiem iure naturae prohiberi nemo nunc est, qui non admittat, attamen vel ipsa luce evangelica fulgente, celeberrimus auctor Caramuel binas has propositiones adstruxit ab Innocentio XI. proscriptas: « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse » malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. » Item: « Mollities iure naturae prohibita non est: Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset » bona, et aliquando obligatoria sub mortali (106). »

Hinc opportunum admodum fuisse patet, ut lex positiva de-

(105) Lib. *De liber. educat.* post medium.

(106) Prop. 48. et 49. inter proscriptas ab Innocentio XI. in quas propp. Cf. *Viva Theses damnatae*. Cardenas Diss. XXIX. cap. 4. Schwarz *Instit. iuris publici universalis naturae et gentium*. part. II. *De iure naturae* tit. IV. §. 2. q. 8.

